

**F**loruit quondam Hieronymus Lascus excellentis ingenii ac prudentiae fama, qui, natus in Sarmatis, turbidis Hungariae rebus, in Aula Turcica, Ioannis Zapoliae, post eiusque decessum, Ferdinandi adhuc Regis, legationes administravit. Hic, a Solimanno rogatus, num uidisset, num nosset, Lutherum, Ego uero, inquit, familiariter etiam cum eo collocutus sum. Quaerenti mox Solimanno, quibusnam Lutherus in rebus mutationem, et qualem, in illa parte Orbis, fecisset, eum, respondit, superstitiones, quae inueterauerint in animis, sustulisse. Tum uero Imperator Turca, Est sane magnus uir, inquit, Lutherus, quisquis est, sed nondum ea luce collustratus, qua nos sumus. Haec ego nondum, neque in Ioanne Sleidano, neque in Vito Ludouico Seccendorffio, reperire possum, quanquam ea cupidissime requiro. Vtriusque ergo commentariis, nisi mea me exquirendi cura fefellit, addi possunt. Namque ea Philippus Melanchthon, ut nota temporibus suis, de Solimanno adhuc uiuo, commemorat, eademque digna, sicut utique sunt, memoria ponit. Habuit autem Solimannus, praeter rerum, in Asia potissimum gestarum, gloriam, iustitiae, sobrietatis, continentiae, laudem praecipuam, qua ceteros Othomannorum Principes, ducentorum quidem annorum, praestitisse dicitur, addo etiam clementiae ac religionis studium, quod Mustaphae filio proposuit aemulandum, ut Paullus Iouius tradit. Quo minus mirari conuenit, si quidem ille, quae fama, latius increbrescente, de Luthero, religionem emendante, accepit, haud contemnenda duxit. Haec certe non leuia fuerunt, quae Solimannus de Luthero comperisse sibi uisus est. Erat, scilicet, eius temporis, quo de regno Hungariae, in fidem clientelamque permittendo, agebatur, de priuato quodam homine ac longius remoto, qui uersaretur in Germania, quaerere, idque ab Legato, qui maioribus de rebus, ac penitus aliis, missus esset. Solimannus nihilo secius Lutherum in memoria habet, Lascumque, num quando uidisset Lutherum, numquid eum nosset, percontatus, quid aliud, quaeso, ostendit, quam se ipsum teneri cupiditate, uidendi Lutheri atque noscendi. Magnum enim uirum dicit Lutherum homo, Christiano nomini infensus, cui, insita gentis suae superbia, parui ducuntur externa cuncta, et opibus suis elato, et uictori tot populorum, quos bello deuicerat, quibus domitis, in Oriente fines imperii longe lateque protulerat. Nec uero iniuria magnum praedicat Lutherum, quem, audit ex Lasco, superstitionibus conuellendis, eluxisse. Quanti enim est, religionem, qua Deus colitur, falsis atque impiis hominum opinionibus liberare, quibus obsolescit honos Dei. Nihil magnum est extra uirtutem, cuius fons cum Deus sit, nihil ideo magnum extra Deum, eiusque cultum. Cum nihil magis cultum Dei contaminet, quam superstitio, hanc qui demit, eo maior est, quo sanctior. Lutherus ergo tanto maior fuit, quanto foediorum religioni superstitionem detraxit. Sed hanc Lutheri magnitudinem non intellexit Solimannus, quod falso de superstitione iudicauit. Satis enim habet, si Deus unus colatur, repudiata Deorum multitudine, quam uanitas multarum gentium comminiscitur. Nihil de Christo cogitat, cuius nihil, Christo dignum, scit homo miser-

rimus,

